

*Vocabula* *cohesiones* &c. dependent: Similiter ex Literis combinantur *Syllaba*, & ex his ipsa *Vocabula* suis pro ratione formarum speciebus, *Nomine*, *Verbo*, *Participio*, &c. distincta, quæ utut seorsim etiam valeant, ad animi tamen sensa perfectius exprimenda variis modis inter se communicare, alia aliis adjungi, præponi, postponi, opponi, conferri &c. solent, id quod *Orationis* specialiter sic dictæ, h. e. complexæ formam & *Animam* absolvit, & à quo etiam vocum *Etymologie* & *orationis constructiones*, *originationes*, *translationes*, *compositiones* &c. dependent.

§. 6. Denique ut corporibus naturalibus conveniunt certæ quædam affectiones, tum ex materiâ, tum ex formâ fluentes; ita Vocibus & Orationi ex utroque principio constitutivo resultantes similes tribuuntur, *Genus*, *Numerus*, *Casus*, *Tempus*, *Modus*, *Quantitas*, *Accentus* &c. Quæ omnia sibi consideranda vendicat *Grammatica*, *Scientia Orationis* quatenus *Oratio* est, duobus membris quasi principalibus insignis, quorum prius *Orationis* formalia (*Profam* dicimus *Orationem*) perstringit, & duas præcipuè partes *Etymologiam* (sub qua scriptio ratione constituitur *Orthographia*) & *Syntaxin*, tam puram, quam ornata (à multis dictam *Rhetoricam*) complectitur. Posterius *Grammaticæ* membrum, vocum & *orationis* æstimativitatem h. e. ex materiâ, sono, radicaliter, sed ex impositione formaliter, quasi resultantes temporis & intensionis orationis quantitates, rationes, proportionales, commensurationes, pertractat, & *orationis* (quam distinctionis gratia *Profodicam* appellare possemus, vulgò satis congruè *Ligata* dicitur) juxta certum metrum, quod determinato pedum quasi logodætorum numero constat, rationem constitutivam contemplatur. Perinde ut *Philosophia naturalis*, præter rerum naturalium tum seorsim singularum, tum conjunctim plurium, aut omnium inter se connexarum *Ætiologiam* & *Syntaxin* h. e. rationes naturales qualitativas, simplices, complexas, earumque tum purita-

(4.) *Affecti-*  
*ones, de qui-*  
*buc omnib;*

*Grammati-*  
*ca, qua*

*Vel Prosa*

*Vel Proso-*  
*dica,*

*Inftar Phy-*  
*sica,*  
*Unde*